

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§III.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

mariam et secundariam, independentem et dependentem, normam normantem et normam normatam. [*haec et reliquas divisiones, earumque explicationes vid. ap. IOH. BEN. CARPZOV. in Isagoge in libros Eccl. Luth. symbol. p. 5. et 28. IOH. FRID. WALLISER. in Vindiciis libror. Eccl. Luth. symbol. p. 3. seq. GOTTL. WERNSDORFF. in Diss. de Autoritate libror. symb. Apb. IVto. et ap. eund. lege quaestionem quoque discussam: Num formulae fidei uniuoce uel aequiuoce, an ἀναλόγως normae titulo uocandae sint? p. 489. th. 10.*]

§. III.

Norma primaria, independens, et normans, est ipsa Scriptura S. idque probamus praecipue ab eius autoritate diuina et perfectione, uel unus in hanc rem sufficiat locus II. Tim. III. 16. Πᾶσι γραφῇ, ἡρόπνευστος καὶ ἀφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπιτίθεισιν, πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄριστος ὁ θεὸς ἀνθρώπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηγησιμὸς· habet ergo uim normandi, eamque non aliunde, nisi ex sua ipsius diuina *αὐτονομία* et perfectione.

§. IV.

Regulam secundariam, dependentem et normatam uocamus *formulas fidei*; exhibent enim ipsas diuinas Scripturae S. ueritates; rite tantum explicatas et applicatas; hasce uel *διὰ ῥήδην*, uel *κατὰ διάνοιαν* proponunt. In utraque hac opera coetus uerus non propria utitur *ἐπιλύσει*, sed iuuatur gratia Spiritus S. docente, non immediata et fanatica, sed mediata, *lumine* uel *supernaturali* uel *naturali*; illo, Scriptura S., cum qua Spiritus S. gratia perpetuo coniuncta quemuis non resistentem illuminat, hanc scrutatur, meditatatur, collatione dictorum sacrorum Scripturam e Scriptura explicat; lumine denique naturali, regularum nempe hermeneuticarum siue logicarum, quas Spiritus S. gratia dirigente, sensui Scripturae explicando, eruendo, probando, defendendo adhibet Ecclesia.